DE

FUNCTIONE LIENIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICA,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITERARIA GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS

DIE VII. MENS. FEBRUAR. A. MDCCCXXXVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICHARD MARCUS

GRYPHISWALDENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. RETENBACHER, MED. ET CHIR. DRD.

H. GLUBRECHT, MED. ET CHIR. CAND.

C. EICHSTEDT, MED. ET CHIR. CAND.

ACCEDIT TABULA LITHOGRAPHICA.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, ERUDITISSIMO,

CELEBERRIMO

C. A. SIGISMUNDO SCHULTZE

MEDICINAE DOCTORI,

NATOMES ET PHYSIOLOGIAE PROFESSORI P. O., THEATRI AC MUSEI ANATOMICI GRY-
HISVALDENSIS DIRECTORI, MAGNO DUCI BADARUM A CONSILIIS AULAE, ACADEMIAE
ATURAE CURIOSORUM CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE, SOCIETATIS AMICORUM
ATURAE SCRUTATORUM BEROLINENSIS, CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM MOSQUEN-
IS, NATURAE SCRUTATORUM HALENSIS, PHYSICO-MEDICAE ERLANGENSIS, FRIBUR-
ENSIS AD PROMOVENDAM HISTORIAM NATURALEM, SCIENTIARUM, AGRICULTURAE ET
RTIUM ARGENTORATENSIS, MINERALOGICAE JENENSIS, PHARMACOPOLARUM BADEN-
IS ITEMQUE GERMANIAE SEPTENTRIONALIS ET SOCIETATIS MEDICORUM BADENSIUM
D PROMOVENDAM MEDICINAM FORENSEM SODALI VEL ORDINARIO VEL HONORARIO
VEL LITERARUM COMMERCIO JUNCTO ETC. ETC.

PRAECEPTORI AESTUMATISSIMO

NEC NON

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

S. MARCUS

FAUTORI SUMMOPERE COLENDO

HOCCE

SPECIMEN INAUGURALE

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Cap. I.

Anatomia.

§. 1.

De situ lienis in homine, ejusque forma, de ligamentis, quorum ope aliis organis adhaeret, de vasis, quae transeunt in lienem et inde revertuntur, de nervis denique et parenchymate satis superque jam scriptum est, quod in unoquoque de Anatomia libro reperiri potest. Nostra autem aetate, quq imos tantummodo scientiae accuratioris fontes hausisse juvat, majoris omnino momenti fuerit, quaestiones, quae jamdudum in disceptationem vocatae et a viris doctissimis multifariam tum tractatae sunt, tum tractantur, agitare. Primum enim quaeritur, utrum acini in liene revera inveniantur, an ex convolutis vasis tenuioribus formentur, quarum opinionum alteram *Malpighi*, alteram *Ruysch* statuit; deinde utrum cellulae et fibrae in liene adsint, nec ne.

§. 2.

De acinis lienalibus.

Malpighi[1]) hos acinos ita descripsit: „In splene glandularum, vel mavis *vesicularum* sive sacculorum racemi copiosissimi observantur per totum lienem dispersi, qui uvae botrum graphice aemulantur. Minimae hae glandulae figuram habent ovalem et magnitudine parum distant a renum glandulis; colorem habent, ut perpetuo observavi, album et licet lienis sanguinea vasa injecto atramento turgeant et circa ipsas ludant, hae tamen eundem servant colorem. Earum substantia quasi membranea videtur, sed mollis, facileque friabilis; ejus cavitas ob exiguitatem oculorum aciem effugit, conjectura autem attingitur, dum scissae in se ipsas

concidere videntur. Numero copiosissimae et fere innumerae sunt et in universi lienis cellulis, ubi vulgariter ejusdem parenchyma statuitur, mire locantur, pendentque a propaginibus capsulae, sive a fibris ab ipsa ortis et consequenter ab extremis arteriarum et nervorum finibus, quin et arteriarum fines, capreolorum instar, vel serpentis hederae circa ipsas producuntur, quod in recenti adhuc liene denigratis arteriis observatur."

Qui inter veteris aetatis physiologos idem invenisse affirmant, sunt praeprimis *Cowper* [2]), *Winslow*, *Crausius*, *Senac*, *Verheyen*, *Fantoni*, *Douglas*, *Leeuwenhoek*, *Stuckeley*, *Lieutaud*, *Vieussens*, *Boerhave*, *Delasône* sed plurimi veterum *Malpighii* opinionem rejecerunt; recentiore autem aetate iterum praecipue *Hewson*, *Bichat*, *Cuvier*, *Dumas*, *Dupuytren*, *Assolant*, *Ew. Home*, *Mascagni*, *Salani*, *Schmidt*, *Heusinger*, *Meckel* [3]), *Weber*, *J. Müller* fortiter illam defenderunt. Et certe haec *Malpighii* lienis descriptio est optima omnium et in universum recta et omnes Physiologi, qui accuratius lienis structuram perscrutabantur e. g. *Assolant*, *Dupuytren*, *Schmidt*, *Berthold* [4]), *Rudolphi* [5]), *Weber*, *J. Müller*, alii satis dilucide saepissime vesiculas illas observarunt. In animalium plurium lienibus sunt repertae, sed quum in hominum sanorum lienibus — occasione sanos lienes perscrutandi raro tantummodo oblata — non tam crebro, quam in aegrotorum lienibus inventae sint, plures et praeprimis *Andral*, *Heusinger* [6]), *Rudolphi* crediderunt, per morbos tantummodo lienis corpora illa conformari. Sed hoc non rectum esse videtur, quum non solum recentioris aetatis physiologi saepissime illa in sanis quoque lienibus viderint, verum etiam in animalibus saepius inventa sint.

Attamen quaeritur, quonam modo hi acini cum arteriis et venis et nervis aliisque partibus cohaereant. *Ewerard Home* opinabatur corpora haec cava esse et vasis lymphaticis adnexa, cujus opinionem *Tiedemann* et *Gmelin* secuti sunt. *Heusinger* et *C. A. Schmidt* putant, acinos arteriis adjungi. *Czelechowsky* hoc omnino negat et censet, hosce acinos vasis quasi rete circumdari. Idem *Römer* et *Giesker* [7]). *J. Müller* acinos sicut *Malpighi* et plerique recentiores pro vesiculis quidem habet, sed putat eas conformari, dum tunica illa tenuis, quae vasa lienalia circumdat, ita desinat, ut vesiculae existant, quae vasis aut perforatae aut circumnexae fluido albuminoso impletae sint; in hominum lienibus has vesiculas *Malpighianas* numquam detegere potuit *Müller* (l. c. p. 82). Praeceptor meus Ill. *Schultze* ad-

spexit harum vesicularum innumeram copiam tum in hominum, tum in plurium animalium, praeprimis in boum lienibus, multis vasis penicillatim obtectas et persuasum habet, has vesiculas non a tunica vasorum vaginali formari, quum in permultis perscrutationibus nulla pro hac sententia argumenta ipsi obvenerint, sed e contrario vaginulas vasorum ad vesiculas non porrigi luculenter appareat. Equidem ipse cum praeceptore meo multas institui cum microscopio in hominum pluriumque animalium lienibus perscrutationes, idem inveni et vesiculas vidi album colorem exhibentes, et lineae sextantem ad trientem adaequantes, fluido albo impletas, quod per microscopium constare videbatur ex innumeris granulis, quae pollicis partem fere millesimam adaequare videbantur, ita ut granula sanguinis ter magnitudine superarent. In neonati infantis liene vesiculas subrubras invenimus, bovinis et suillis vesiculis lienalibus minores.

Quod attinet ad *Ruyschii* de acinis his opinionem, credit ille, nihil aliud esse, nisi convoluta vasa tenuia et dicit[8]): (Cf. *Ruyschii* responsionem ad *Campdomercum*) „quod glandulas repraesentare videntur nulla alia est ratio, quam quod propagines vasorum fasciculatim dispositae sint et in *corpuscula molliora, succosiora* atque rotunda reductae, id quod non solum aliis, verum etiam mihi eo usque imposuit." Plurimi, iique physiologorum celeberrimi, praeprimis *Eller*, *Haller*, *Lobstein*, *Sömmering*[9]), *Moreschi*, *Hecker*, *Bonhard*, *C. H. Schmidt*[10]), alii ita *Ruyschii* opinionem defenderunt, ut usque ad recentiorem aetatem non permulti *Malpighii* sententiam secuti sint. Jam vero re accuratius perspecta viri hujus aetatis doctissimi ad eandem hanc sententiam redierunt.

---

1) Malpighii opera omnia. Lugdun. 1687. Tom. II. P. 300 (De liene Cap. V.)

2) Cowper, Anatom. corp. hum. Tab. XXXVI. Fig. IV. V.

3) Meckel's Handbuch der Anatomie. IVr. Band. Halle 1820. S. 370.

4) Berthold, Lehrbuch der Physiologie der Menschen und Thiere. Göttingen 1829. Theil 2. S. 428.

5) Rudolphi, Grundriss der Physiologie. Band II. Abth. 2. S. 140.

6) Heusinger, Betrachtungen über Entz. und Vergrösserung der Milz. Eisenach 1820. S. 172.

7) Giesker, Splenologie. Zürch 1835. 1 Abth. S. 148.

8) Ruyschii Thesaur. anat. II. 37. 38. Tab. VI. Fig. 5.

9) Sam. Thom. Sömmering's Eingeweidenlehre. Frankfurt a. M. 1796. Milz.

10) C. H. Schmidt, De pathologia lienis. Gött. 1816. §. 11.

§. 3.

De Cellulis lienalibus.

Primum *Galenus* in liene cellulas invenisse dicitur, quas alii innumeri etian se vidisse affirmant, praeprimis *Vesalius, Bauhinus, Casparus Hoffmannus, v. Hel mont, Sylvius de la Boë, Bartholinus Willis,* alii. *Malpighius* quoque cellula defendit et cum eo *Cowper, Winslow, Stuckeley, Boerhave, Delasône, Andral Ev. Home,* alii. *Ruysch* autem et qui eum sequuntur, praeprimis *Meckel* *) cellu larum praesentiam omnino rejiciunt. Idem *Müller* et *Giesker*, quibus eo lubentiu assentior, quum et praeceptor meus Ill. *Schultze* huic sententiae faveat.

*) Meckel's Handbuch der menschlichen Anatomie. Halle 1820. 4r Band. S. 372.

§. 4.

De fibris lienis.

Malpighius *) de fibris lienis ita loquitur: „Enascuntur fibrae ab interior lienis membrana et per transversum producuntur in oppositam dictae membrana partem, seu ad capsulam quandam, sive commune involucrum vasorum per me dium lienis perreptans. Non idem servant planum, sed identidem sibi occur rentes subdivisae propriae substantiae, vel fibrularum, seu capillarium partiur dimidiata portione consimilibus inosculantur, ita ut mirus fiat nexus, et rete et dum membranae accedunt, bifurcantur; unde multiplicibus veluti ramis i ipsam inseruntur etc. An vero singula quaeque filamenta cava sint, interdur dubitavi etc., oculatior tamen inspectus hujusmodi filamenta tantum esse tenui et valida, nullam cavitatem habentia, prout sensus attingere valet, nec a venis ve arteriis orta demonstrat, si diligenti indagine ipsarum exortus implicatio e structura examinetur."

Duverney, *Stahl*, *Leeuwenhoek*, *Dupuytren*, *Heusinger*, *C. A. Schmidt*, alii idem fere existimarunt. *Meckel* ita loquitur de fibris: (*Meckel's* Handbuch der menschlichen Anatomie. Halle 1820. 4r Band. S. 370.) „Von der faserigen Haut der Milz erstrecken sich eine beträchtliche Menge vielfach mit einander verschlungener, sehr feiner, solider Blätter und Fasern durch den ganzen, von ihr umgebenen Raum, und bilden regelmässige Räumchen, in welchen sich die Gefässe der Milz verbreiten, und die überhaupt die Grundlage des Gewebes der Milz bilden.“ *Ruyschius* in epistola anatomica quarta pag. 9 dicit: „Ego autem in liene humano tales nunquam offendi fibras etsi omnem adhibuerim diligentiam.“ Haec sententia recta mihi esse videtur, fibrae solidae, quae a tunica propria conformari dicuntur, nequaquam in liene humano existunt, verumtamen vasorum lienis dissipatio fibris sese decussantibus est similis et tela cellulosa haec vasa conjungit fibrarum adinstar; id, quod jam adspectus oculo nudo accuratus atque intentus satis edocet.

---

*) Malpighii opera omnia. Lugdun. 1687. Tom. II. P. 298.

Cap. II.

Physiologia.

§. 5.

Inde a vetustissimis temporibus ad hanc usque aetatem innumerae functione lienis sententiae divulgatae, quarum plurimae obsoletae. Et longe absu ut omnes enumerem, qui, ut plures, lienem pro nervorum ganglio, aut qui lie secretum pro fermento, ut *Sylvius*, aut pro liquore peritonaeali, articulari etc. buerunt; sed iis, quorum interest, plura de hac re legere praeceptoris Ill. *Schultzii* orationem, quam in *Heckeri* annalibus (Tom. XII. pag. 390 se publicavit, et *Gieskeri* Splenologiam (Sect. I. p. 196 ad 288) commendo. vero tempore magnum inter Physiologos certamen exstitit: Utrum lien fluida e v triculo accipiat, an secretum quoddam ad formandum succum gastricum acidum eum mittat; deinde num lien bilificationem et sanguificationem adjuvet, et quan hoc ratione fiat; praeterea quisnam sit connexus lienem inter et vasa lymphati denique qualem et quo modo influxum in systema sexuale habeat.

§. 6.

1. *De Hypothesi eorum, qui lienem a ventriculo fluidum aquosum accipere contendunt.*

Jam *Aristoteles* et plures veterum e. g. *Carolus Piso*, *Vesling*, *Conn* hoc crediderunt, et recentiore aetate praeprimis *Home*[1]) opinabatur potum sup fluum e ventriculo transire in lienem, ubi in cellulis lienalibus per venas in ho traduceretur et per vias clandestinas in renes et vesicam urinariam descende Etiamsi plures contra hanc hypothesin disputarint, tamen *Meckel*, *Clarke*[2]),

mer, *Hodgkin*[3]) et plures alii censebant, fluida in lienem transire. Rem autem falsam esse omnium recentioris aetatis Physiologorum sententiae satis docent, quamobrem eodem modo, quo cellulas lienales negavi, hanc etiam functionem lieni tribuere nequaquam possum.

1) Philosophical Transactions. Jahrgang 1808.

2) Physiologische Untersuchungen von W. Krimer. Leipzig 1820. Versuche über die Harnabsonderung. S. 1—11 flg.

3) Th. Hodgkin on the uses of the spleen. Edinburg. med. and surgic. Journal. Nro. 70. Vol. XVIII. Jan. 1820.

§. 7.

II. *De sententia plurium, lienem secretum in ventriculum mittere.*

Inter *Arabes* primum *Avicenna* credidit, in liene acidum quendam succum parari, qui transeat in ventriculum, ubi motionem ejus et cibi appetitum evocet. Idem fere opinabantur *Paracelsus*, *Helmontius*, *Fernelius*, *Basilius Valentinus*, alii. Haec hypothesis a quibusdam recentiore aetate recepta. *Jaeckel*[1]) arbitrabatur, erethismum lienis majorem acidi succi gastrici secretionem efficere. Idem *Burdach*, *Authenrieth*, *Reil*, *Walther*, *Sprengel*, *Cuvier*, *Blumenbach*, alii. Contra hanc hypothesin *Dumas*[2]) contendit, succum gastricum non a liene secerni, sed per venas breves superfluum illum e ventriculo in lienem traduci et ad bilificationem hic aptum reddi. Nuperrime *Leuzinger*[3]) iterum recepit hanc sententiam et fortiter rem defendit et contendit, quod certe Nemo ante eum, oxygenium, quod in succo gastrico est, in acinis lienis parari et quemadmodum ipse ait, „per telam cellulosam lienem et ventriculum conjungentem et singulas musculorum fibras ventriculi continentem sudare et permeare."

Hanc, de qua loquor, hypothesin quamvis lubenter comprobare velim, quippe cui viri plurimi atque doctissimi faveant, nihilo tamen secius explicatio ejus omnino mihi sufficere non potest. Quam vero *Leuzinger* proposuit sententiam plane absurdam rejicio.

1) Jaeckel's Abhandlung über die Verrichtung der Milz in Meckel's Archiv für Physiologie. Band 6. Halle 1820.

2) Dumas principes de Physiologie. Tom. IV. p. 64.

3) Leuzinger, Dissertatio inauguralis de functione lienis. Turici 1835. S. 9 seq.

§. 8.

III. *De opinione eorum, qui lienem in bilificationem influere dicunt.*

Hanc sententiam plurimi Physiologi proposuerunt, quorum celeberrimi sunt *Galenus*, *Vesalius*, *Malpighi*, *Eller*, *Fr. Hoffmann*, *Haller*, *Vater*, *Roloff*, *Lieutaud*, *Schmidt*, *Sömmering*, *Hildebrandt*, *Blumenbach*, *Dupuytren*, *Goerres*, *Dumas*, *Wilbrand*, *Kreysig*, *Hecker*, *Meckel*, *Berthold*, *Czelechowsky*, *Heusinger*, *Jaeckel*. Rationem autem, qua lien in bilificationem influat, alius alio modo statuit. *Malpighi* et *Eller* opinabantur, sanguini in liene partes salinas admisceri; *Goerres* credidit, sanguinem in liene substantias alcalinas accipere; plures censebant, sanguinem in liene magis condensari, alii, qui arbitrabantur, tenuiorem fieri, multum inter sese certarunt, utrum commixta lympha efficiatur (*Hoffmann*, *Vater*, *J. F. Schmidt*, *Kreysig*, alii) an hydrogenio (*Blumenbach*, *Heusinger*) ne dicam, quod *Dumas* contendit, admixto succo gastrico. Etiam praeceptor meus Ill. *Schultze* lienem per sanguinem venosum in eo paratum ad bilis secretionem paullulum conferre ex anatomica disquisitione et experimentis contendit. Et certe hanc inter lienis functiones maxime manifestam esse, equidem ipse opinor et rationes paullo post afferam, sed quonam modo lien hoc efficiat et quanam ratione sanguis in eo mutetur, non satis accurate perspicere possumus, ita ut hucusque hypotheses tantummodo proponere possimus.

§. 9.

IV. *De sententia eorum, qui lienem arctissime cum vasis lymphaticis cohaerere et in sanguificationem secretione rubrae sanguinis partis influere contendunt.*

Primi illorum, qui hanc hypothesin statuerunt, sunt *Verheyen*, *Stephanus Blankard*, *Ruysch*, *de Berger*, *Hewson*, *Treviranus*, alii; nuperrime *Tiedemann* et *Gmelin* [1]) fortiter rem defenderunt. Argumenta, quibus utuntur ad confirmandam hancce sententiam, haec praeprimis sunt: Lienem in hominibus et in illis modo obvenire animalibus, in quibus vasa lymphatica dilucidius appareant; deinde magnam esse in liene horum vasorum copiam; tum omnia, quae per arterias in lienem traducta sint, per vasa lymphatica et venas modo educi posse; in morbis etiam systematis vasorum lymphaticorum lienem saepissime morbose affectum esse; denique

haec vasa lymphatica in liene cum lympha rubescente et coagulante impleta esse. Hoc etiam *Meyer* et *Müller* invenerunt et ante eos jam *Reuss*, *Emmert*, *Vauquelin*, *Brande*, *Marcet*, alii. *Bartholin* et *Nuck* experimentis demonstrarunt, arterias cum vasis lymphaticis cohaerere; idem invenit *Schmidt* [2]). Etiamsi plures Physiologorum, inter quos *Heusinger*, *Jaeckel*, *Rudolphi*, praeprimis autem *Seiler* et *Ficinus* [3]) hanc sententiam omnino rejecerint, tamen plures recentiorum, praeprimis *Fohmann*, *Weber*, *Müller*, *Lund*, alii eam comprobant. *Seiler* et *Ficinus* invenerunt vasa lienis lymphatica in quibusdam modo animalibus rubescentia, in plurimis autem lympha claro aquae colore, vel subflavo apparuit. Etiam praeceptor meus Ill. *Schultze* invenit, ut alii Physiologi, lympham in liene et aliis organis in diversis animalibus variantem, mox pallidiorem, mox rubescentem et hoc ultimum praesertim post organi irritationem, quod hanc hypothesin potius refutare videtur. Eodem modo experimenta, in quibus animalia, quorum splen primis vitae diebus exstirpatus erat et sanguinis et totius corporis incrementum optimum habuerunt, contra hanc opinionem dimicant; hoc enim fieri non potuisset, si rubrae sanguinis partes in liene secernerentur.

---

1) Versuche über die Wege, auf welchen Substanzen aus dem Magen und Darmkanal ins Blut gelangen, über die Verrichtung der Milz und die geheimen Harnwege von Tiedemann und Gmelin. Heidelberg 1820. S. 87 folg.

2) C. H. Schmidt, Comment. de pathol. lienis. Gott. 1826. 4. p. 10.

3) Dresdner Zeitschrift über Natur und Heilkunde. Band 2. 1822. Versuche über das Einsaugungsvermögen der Venen und Untersuchungen über die Saugadern der Milz von Seiler u. Ficinus.

§. 10.

V. *De hypothesi, influere lienem in systema sexuale.*

Praeceptor meus Ill. *Schultze* hanc hypothesin, quam plures v. c. *Stuckeley* proposuerunt, experimentis stabilivit et ante decem fere annos publicavit. Contendit, lienem omnino influere in procreandi facultatem, eamque augere, quum liene, primis vitae diebus exstirpato, in pubertate hanc semper comminutam, quamquam coeundi cupiditate adaucta, contemplatus sit, et ex hoc lienis connexu cum systemate sexuali repetit influxum, quem in pullis exstirpatio lienis in organa motus et sensa-

tionis semper exhibet, qui plerumque vivacitatem et alacritatem juvenilem praebuerant. Plures Physiologorum, qui hoc eodem modo se observasse denegant, non dicunt, id quod certe maximi est momenti, utrum animalibus in primis vitae diebus ante pubertatem, an in provectiore aetate lienem exstirpaverint. Nam saepius post testium ipsorum exstirpationem, si jam antea semen secreverunt, ex semine in vesiculas seminales traducto, foecunditatio observata. Quum praeterea multi Physiologorum hanc hypothesin examinare neglexerint et, quae *Gieskerus* (Splenologia pag. 313) contra eam dicit ex summa ignorantia physiologiae organorum sexualium provenisse videantur, singula *Gieskeri* argumenta paullo accuratius recensebo.

Dicit enim:

1) „Es ist ein besonderer Zusammenhang zwischen der Milz und den Organen des Sexualsystems nicht nachzuweisen; ich meine einen Zusammenhang, den die Milz allein und nicht mit den meisten andern Organen gemeinschaftlich hätte, und aus dem sich schliessen liesse, dass ihre Function in einer eigenthümlichen Beziehung zur Verrichtung des Sexualsystems stehe.“

Numquid negari potest, connexum existere inter organa sexualia et vocalia, et barbam accrescentem et animi evolutionem et mammas? Numquid hic connexus satis explicatus est? Aut numquid *Gieskerus* ductus aut vias inde ab organis sexualibus ad laryngem, aut ad barbam, aut ad cerebrum, aut ad mammas reperit? Attamen nemo nexum sympathicum inter organa sexualia et laryngem etc. hucusque negavit. Similem vero nexum, lienem inter et organa sexualia existere propter multa experimenta contendit praeceptor.

2) „Es lässt sich der Umstand, dass Thiere, denen die Milz von *Schultze* ausgeschnitten ist, wenigere oder kleinere Jungen erzeugten, abgesehen davon, dass andere Beobachter (*Czermak*) das Gegentheil bemerkten, aus der verminderten Assimilationskraft und daher gestörtem Ernährungsprocess dieser Thiere erklären.“

Nusquam praeceptor meus Ill. *Schultze* dixit, pullos illos minores fuisse. Sin vero *Gieskerus* doctissimus illud, quod animalia ea, quibus lien exstirpatus erat, minorem pullorum copiam procreaverint inde repetit, quod in iis vis assimilandi deminuta sit, tum ad refutandam ejus opinionem sufficiet dixisse: Animalia ea, qui-

bus lien exstirpatus erat, aeque celeriter accrevisse, aeque bene nutrita fuisse, quam ea, in quibus operatio illa instituta non erat, id quod *Gieskerus* in tractatu (*Hecker's* Annalen Bd. XII. pag. 390—91) legere potuisset.

3) „Es ist durchaus nicht erwiesen, dass die Milz mittelst des Zusammenhanges mit dem Sexualsystem auf die Geistesthätigkeit wirke."

Si satis constat, organa sexualia in animi evolutionem influxum exhibere, si porro connexus lienem inter et organa sexualia comprobari potest, si denique cum functionum sexualium mutatione etiam functiones cerebrales post exstirpationem lienis mutantur, et morbi organorum sexualium in spleniticis cum animi pathematis conjuncta esse solent, tum sane quidem parum sagacitatis requirit divinatio, lienem in vires animi influere.

4) „Es ist für seine Behauptung kein Beweis, dass einige Thiere, denen die Milz fehlt, auch undeutliche Geschlechtsorgane haben, da sie überhaupt auf einer niedrigen Stufe der Entwickelung stehen."

Hoc, quamvis magna cum ostentatione dictum argumentum tamen ex aliqua anatomiae comparatae ignorantia originem suam ducit. In Cyclostomis e. g. Petromyzontibus, Gastrobranchis, reliqua organa satis evoluta reperiuntur, lien autem plane deest, et organa sexualia, praesertim masculina una cum cerebro et medulla spinali parum evoluta sunt. In quibus, cum cetera organa reproductioni inservientia, circulationis, respirationis, hepar etc. bene conformata sint, quis est praeter *Gieskerum* doctissimum, qui contendere velit, in inferiori evolutionis gradu illa remansisse, quam in aliis piscibus, qui omnes liene instructi sunt.

Cap. III.

Nosographia.

§. 11.

Quum ad conformandam de organi cujusdam dignitate physiologica sententiam haud sufficiat, situm ejus anatomicum et functionem, qualis in vita sana esse solet, vestigasse, sed qualis in morbo sit cognovisse oporteat: ego quoque hoc loco necessarium habui, lienis morbos paucis attingere, ut ex influxu eorum in ceteras corporis partes eo dilucidius functionem lienis intelligere possimus. Sed generatim modo eos enumerabo et paucis influxum eorum in totum corpus exponam; accuratior uniuscujusque morborum speciei ex origine, natura, charactere, individualitate et decursu deductae descriptio in qualibet Pathologia speciali inveniri potest. In universum autem morbi lienales neglecti a Medicis, partim quia adhuc ejus functio ignota, partim quia hi morbi saepissime obscurantur, quum lien exiguum modo influxum in totum organismum exhibeat et quum organa huic vicina saepissime simul laborent; praeterea saepius morbi lienis lente decurrunt, quum lien sicuti omnes fere glandulae exiguam modo vim vitalem exhibeat.

§. 12.

I. ***De mutationibus lienis pathologicis.***

In cadaveribus resectis post lienis morbos haec fere reperta sunt*):

a) Lien non tumefactus, durior, quam plerumque solet, colorem varium exhibet, interdum nodulos in superficie ostendit. Vesiculae aut materia albumini ovorum simili, duriore vel molliore, aut pure impleti sunt aut cartilaginei aut ossei apparent.

b) Tumor lienis aequalis est, interdum permagnus, mollis, sine notabili structurae vitio, vasis acinisque pro tumore amplificatis.

c) Lien grandis apparet, acini duri, substantia vasculosa condensata est.

d) Lien densus, ruber, massa aequalis, magnitudo interdum aucta, venae angustae sunt.

e) Lien spissus invenitur, nigrescens; membranae interdum crassiores, cartilagineae, vasa angusta.

f) Lien subater reperitur, interdum major, emollitus, ita ut facile diffluat, cruore impletus; interdum vesicam sanguine impletam subaequans.

g) Vomicae lienis saepius pus effundunt.

h) Praeterea rupturae lienis ipsius et ejus vasorum, adhaesiones cum partibus vicinis, hydatides occurrunt. Interdum lienis etiam ambitus comminutus, pondus vix unciale; interdum paene extinctus esse videtur. Multa praeterea alia vitia exstant, quae hoc loco enumerare longum est.

---

*) Heusinger's Betrachtungen und Erfahrungen über Entzündung und Vergrösserung der Milz. Leue Diss. de splenitide chronica. Berol. 1825.

§. 13.

II. *De Splenitide.*

Qui inter veteres scriptores splenitidem descripserunt, sunt praeprimis *Hippocrates*, *Paulus Aegineta*[1]), *Aretaeus*, *Alexander Trallianus*, qui quatuor lienis inflammationes descripsit, *sanguineam*, *biliosam*, *atrabilariam*, *pituitosam*, quas etiam *Sennert* recepit. Inter recentioris aetatis scriptores *Marcus*[2]) primus differentiam proposuit inter splenitidem phlegmonoidem et membranosam, illam cum tumore et doloribus obtusis, hanc sine tumore et cum doloribus acutissimis apparere. Nuperrime *Heusinger* varia morbi genera magis distincte statuit, inflammationem *arterialem*, *venosam*, *capillarem* et multas observationes a se ipso et aliis factas narrat. Secundum eum sese manifestat capillaris inflammatio sine tumore, arterialis statim cum tumore; in illa faciei colorem luridum, in hac pallidum inveniri; in illa febrem atypicam et in morbi progressione hecticam, in hac typicam esse; pulsus in illa exiguos et veloces, in hac raros; post mortem acinos lienis in illa vario modo degeneratos, in hac tumorem sine degeneratione. In splenitide venosa autem, quae ex his ambabus oriri, aut ex iisdem caussis conformari possit,

tumorem magnum, colorem cutis nigrum, magnam ad sanguinis profluvia inclinationem, ulcera scorbuticis similia et diarrhoeas colliquativas, et magnam animi actionum depressionem occurrere.

---

1) Pauli Aeginetae de re medica Lib. III. Cap. 49.

2) Marcus, Ephemeriden der Heilkunde Theil III. Ejusdem Entwurf einer speciellen Pathologie. P. 11. §. 1478 seq.

§. 14.

Symptomatum splenitidis nullum fere certum exstat, sed quum morbi non lienis functionem solum, immo totam etiam assimilationem deprimere soleant, eadem inveniuntur, quae in aliorum viscerum abdominalium, praecipue in hepatitide, signa. Multa eorum jam commemoravi, sed praeter haec nonnulla saepius inveniuntur, quae si adsunt de splenitide certiores nos faciunt. Praeprimis notatu digna est *intumescentia*, quae plerumque non permagna est, in splenitide chronica autem tantam potest assequi magnitudinem, ut totum abdomen repleat. Post mortem invenimus unam vel alteram earum, quas supra commemoravi, deformitatum. Praeter tumorem interdum vexantur aegroti *doloribus* in regione hypochondriaca sinistra trahentibus vel pungentibus, urentibus, pulsantibus et semper fere intermittentibus. Pulsatio, quae arteriarum motui paene respondet, interdum tanta fieri potest, ut manu imposita percipi possit [1]). Symptomata, quae *functionem lienis turbatam* indicare possunt, sunt totius fere digestionis laesiones. Praeter alia obveniunt dyspepsia, tensio in praecordiis, vomituritio, pyrosis, cardialgia, vitia etiam ventriculi organica. Aliud, quod nunquam fere deest symptoma, est *Angor*, quem plerumque comitatur palpitatio cordis, respirandi difficultas, in deliquia animi declivitas, immo etiam quibusdam medicorum suffocationis periculum in acuta obvenit splenitide. Aegroti maxima vexantur tristitia, ad iracundiam propensi, imo mortem sibi optant. *Febris*, quae splenitidem chronicam comitatur, fere semper intermittit et typum, vel quotidianum, vel tertianum, vel quartanum tenet. De caussis postea loquar. *Pulsus* interdum intermittentes inveniuntur et sanguis e vena missus subnigrum exhibet colorem et non ita bene sejungitur in serum et cruorem, cruor ipse solutus fere sine crusta inflammatoria apparet. Aegritudinem jam satis exprimit facies cachectica, pallida, subflava, ictericae similis. Praeterea petechiae, ulcera

etc. obvenerunt. Urinam quidam pallidam, alii rubram, nonnulli[2]) nigram et crassam animadverterunt. Gravissimum autem omnium symptomatum est inclinatio *ad sanguinis profluvia*; pluribus in casibus obvenit vomitus cruentus, qui saepius redire solet. In functione etiam *organorum sexus* multae, dum splenitis aderat, mutationes observatae et in feminis adultis incipiente morbo menstrua periodum certam mox solent amittere. Effluit enim sanguis justo paucior et menstrua saepius tum redeunt, aut justo copiosior et admodum dilutus et loturae carnis similis apparet. Interdum plane cessant menstrua et vicaria profluvia animadvertuntur. Licuit mihi ipsi virginem in Nosocomio nostro Gryphiensi observare, quae longum per tempus splenitide chronica laborans, quoties Menstruatio intrare debuisset, ratione vicaria vomitu cruento vexabatur. Ubi morbus est perfectus, menstrua, nisi plane cessarunt, periodum justam recipiunt, sed semper sunt largiora et octo vel decem dies perdurant. Conceptio dum lienis morbi adsunt, non est plane impedita, sed difficilis et raro obvenire videtur.

1) Tulpius (observ. med. Lib. II. cap. 28) insigne tale pulsationis exemplum narrat.

2) Cammerländer, Diss. de splenitide. Altdorf 1734.

§. 15.

Haec sunt, quae enumeravi, symptomata notatu digniora: exitus diversi splenitidis ceteras lienis morborum formas constituunt; et si e. g. suppuratio, quae quidem raro tantummodo obvenit[1]), intrat, tum totius corporis viribus per nutritionem turbatam paene exhaustis plerumque *Phthisis lienalis* subsequi solet, quae phthiseos hepaticae symptomata fere ostendit et cum febre hectica in conspectum venit. Mors tum e variis caussis subsequi potest: Vomica lienis pus effundit aut in cavum abdominis, ubi ascitem purulentum letalem efficit, aut in renem sinistrum, in ventriculum[2]), in colon[3]) et per musculos abdominis.

Ceterae lienis affectiones morbosae omitti possunt, quum maximam partem ad vitia organica spectent, quorum supra jam mentio facta.

1) Case illustrative of the Efforts made by nature for the Cure of diseases. by H. Newnham. London medical repository Vol. VI. p. 269. Nov. 1816.

2) Observation sur un abcès à la rate etc. per Coze. Journal de Medicine etc. Vol. 82. p. 255. Fevrier 1790.

3) Abcès à la rate ouvert dans le Colon. Obs. p. Jacquinelle. Journal de Medicine etc. Vol. 88. p. 360. Sept. 1791.

§. 16.

III. *De origine morborum lienalium et influxu eorum in totum corpus et singula ejusdem organa.*

Inflammationes lienis — ex his enim omnes fere ceterae morborum lienalium formae oriuntur — e caussis maxime diversis tum externis, tum internis oriri possunt. Autumnus hos morbos saepius evocat praecipue in regionibus humidis, ubi praeprimis cum febribus intermittentibus endemici sunt et lienis tumores inter pluvia saugeri, aëre sicco deminui solent. Praeterea ciborum quorundam, praecipue autem potuum spirituosorum abusum, frequentissimam nostra aetate caussam morbi esse, omnes recentiores testantur. Praeterea laesiones hypochondrii sinistri efficiunt inflammationem acutam et saepius repetitae chronicam procreare possunt. Aetas adulta, plethora abdominalis, inflammationes vicinarum partium; in feminis menstrua impedita, in viris haemorrhoides suppressae accusandae.

Morbi lienis non solum in toto corporis ambitu manifestantur, verum etiam animi actiones omnino depressae appareat. *Febris*, quae morbum comitatur, plerumque *intermittit* et eam ob caussam veteres crediderunt, febres intermittentes a lienis morbis proficisci. Etamsi hoc quibusdam in casibus non omnino denegari possit, tamen saepius contrarium evenire mihi videtur, ita ut e progressione febris certe lienis affectiones morbosae prodeant. Paucis hoc illustrabo, quippe quod maximi sit ponderis. Febris est morbosa systematis nervosi et vasorum sanguiferorum affectio. Praecipuus aegritudinis focus est systema gangliorum imprimis plexus solaris, quocum arctissime plexus lienalis et hepaticus cohaerent. Ex hoc connexu facile existimare possumus, febres longinquas, quae saepissime intermittunt, crebro morbos lienis et hepatis evocare; caussas quidem intermissionis febrium longinquarum aliorumque morborum hucusque accuratius perspicere non potuimus, quum in natura ipsa multa adhuc ab oculis nostris seducta sint, sed notum nobis est, si nervorum motoria exaltata appareat actio, tum praeprimis majora febrium signa apparere, sin vero actio, quam dixerim,

plastica adaucta sit, tum hypertrophias praeprimis horum organorum obvenire, quae propter magnam sanguinis abundantiam plus ad has inclinant. Praeter hanc totius corporis turbationem febrilem adspicimus *totius digestionis laesionem* et praeprimis affectiones *hepatis*, ita ut pluribus in casibus valde difficile sit, rectam facere diagnosin, utrum adsit morbosa lienis, vel hepatis affectio. Equidem fere crediderim, influxum morborum lienalium in totum corpus non posse tantum esse, nisi simul hepatis functionem ex parte diruant, quum ipsa lienis exstirpatio sine ullo valetudinis detrimento crebro instituta sit. Praeterea *depressio animi actionum*, quae in morbis lienalibus semper observatur aliqua certe ex parte hinc ortum duxit, cum sympathia inter hepar et cerebrum tanta sit, ut minimae illius functionis laesiones simul cum majore hujus depressione sese manifestent. Hoc enim modo melius hunc lienalium morborum in animi actiones influxum declarare possumus, quum usque ad hoc tempus certa de functione lienis cognitione careamus; fortasse autem alio ex fonte hic oritur. Corpora enim vesicularia in liene secundum plurimorum anatomicorum sententiam retibus vasorum tenuium et verosimiliter etiam nervorum filamentis obtecta sunt; quum de secreti, quod in illis apparet, functione nihil certo compertum sit, sane est quaerendum, annon substantiae illius nonnullae ad nervorum usum destinatae sint et reliquae in vasa lymphatica et per haec in sanguinem traducantur? Mirabilis enim est hic lienis influxus in *animi* et in *systematis sexualis* actiones, quem negare nullo modo possumus et nullo alio modo explicare, verumtamen longe absum, ut crediderim, hanc unice rectam esse interpretationem, sed mera est hypothesis, quae ut a Viris Illustribus examine digna habeatur opto.

Cap. IV.

Summa eorum, quae de functione lienis juste contendi possunt.

§. 17.

Nullam omnino in universa medicina caussam esse crediderim, de qua virorum doctorum sententiae ita discrepaverint et inter se pugnaverint, de qua tot hypotheses aut temere conceptae, aut summo ingenii acumine excogitatae sint, quam opiniones de functione lienis. Plurimas veterum et easdem obsoletas omittendas putavi, quarum quidem numerus sit incredibilis; quotquot enim physiologi, totidem fere de functione lienis hypotheses; quae autem majoris fuerint momenti, de quibus recentiore etiam aetate multum sit certatum, eas supra accuratius descripsi, earumque defensores, aut adversarios nominavi. Hic modo eas repetam, quibuscum e quidem ipse consentio et caussis expositis illustrabo.

Triplici ratione lien in totum organismum influere potest; nam, quum nullus exstet ductus efferens, omnes mutationes, quas lien evocat aut in venarum aut in vasorum lymphaticorum contentis, aut in nervorum actione manifestare sese debent; quam ob caussam statuo: lienem per venas suas influere in bilificationem; cohaerere lienem cum vasis lymphaticis, et pendere ex parte a liene actionem systematis gangliorum, imprimis nervorum sphaerae sexualis.

§. 18.

I. *Lien influit in bilificationem.*

Haec hypothesis a pluribus physiologis defensa, et certe est functio lienis primaria. Caussae, quae hanc rem confirmant, hae sunt:

a) Lien invenitur in hominibus et talibus modo animalibus, in quibus systema portarum obvenit.

b) Post exstirpationem lienis in animalibns observarunt plurimi Physiologi, praeprimis praeceptor meus Ill. *Schultze*, qui plurimum certe inter recentioris aetatis physiologos in lienis functione perscrutanda studium collocavit, bilis secretionem deminutam.

c) Morbi lienis satis declarant hunc lienis influxum, in morbis enim lienis praecipue hepar affectum esse et bilificationem mox alteratam apparere satis cognitum est.

d) Situs lienis systemati digestionis vicinus; vasa maxima lienem intrant et recta via sanguis e liene in venam portarum et hepar ducitur.

Sed, si quaeritur quonam modo sanguis mutetur, ut influat lien in hepatis functionem, haud satis distincte respondere possumus, et omnes quae de hac re statutae sunt hypotheses, argumentis omnino carent. Quamvis nonnulli sese sanguinem magis dilutum in liene vel condensatum vel alcalinis vel salinis substantiis commixtum invenisse affirment, nihilo secius tamen multi exstant alii, qui horum omnino contraria contendant. Quum autem in systemate portarum sanguis ad bilificationem aptus restituatur, quum porro lien arctissime cum hoc systemate cohaereat et maxima vasa sanguifera contineat, jam eam ob causam lien hepatis functionem adjuvat, quod magnam sanginis copiam recipit et in venam portarum mittit; deinde autem sanguis in liene forsan eo modo mutatur, ut, cum propter lienis constructionem lente modo ex arteriis in venas transire possit, majorem carbogenii copiam suscipiat.

§. 19.

II. *Lien cum functione systematis vasorum lymphaticorum cohaeret.*

Argumenta, quae ad hancce hypothesin confirmandam a Viris Illustrissimis allata sunt, jam supra (§. 9) commemoravi et etiamsi lienem non pro glandula sanguifica habeam, neque credam, bonam eamque sufficientem sanguificationem a liene magna ex parte pendere, tamen negare nullo modo possum, lienem, summis etiam viris autoribus, vasis lymphaticis abundare et vasa ipsa lymphatica arctissime in

lienis parenchymate cum arteriis cohaerere. Praeterea multi Physiologi lympham in illis vasis, quae a liene exeunt mutatam et sanguini similiorem adspexerunt. Ad hoc usque tempus res non satis comprobata est, et plura exstant facta, quae hanc sententiam dubiam reddant, e. g. lienis exstirpatio; verumtamen arctior lienis conjunctio cum vasis lymphaticis, affectiones porro pathologicae clarius demonstrant, aliqua ratione lienem in hujus systematis functionem influere, etiamsi non tam magnum in illud systema momentum habeat. Et quamvis nonnulli post lienis exstirpationem sanguinem non tantopere mutatum adspexerint, tamen satis constat, damnum, quod corpus ex deminuta organi alicujus functione capiat, per alius organi adauctam functionem corrigi. Et merito quidem contendere possumus, lienem etiamsi non tantopere in sanguificationem influat, tamen illam per vasa lymphatica adjuvare.

§. 20.

III. *Lien influit in nervorum actionem et praecipue etiam in systematis sexualis functiones.*

Hic lienis influxus praeprimis in lienis morbis agnoscitur, id quod jam supra commemoratum. Praeterea praeceptor meus Ill. *Schultze* jam ante plures annos loco citato publicavit, sese post exstirpationem lienis in animalibus vivis semper deminutam procreandi facultatem, quamquam adauctam coeundi cupiditatem animadvertisse. Quas autem postea fecit observationes plus etiam ejus hypothesin affirmant. Res adhuc neglecta, etiamsi digna, in qua a viris illustribus plus studii ponatur. Frustranea omnino mea qualiscunque esset opella hac in sententia confirmanda, quippe cui nulla alia argumenta addere possim, praeter ea, quae in sectione canis animadvertimus, cui a praeceptore meo ante XII annos lien exstirpatus fuerat.

Sectio in illo cane instituta, qui annum agens duodecimum senectute oppressus est, haecce imprimis notatu digna ostendit. Regenerationis lienis resecti nullum vestigium inventum. Vasa sanguifera sanguine plena, adipis maxima copia sub cute, et in mesenterio ac omentis. Praeterea animalcula seminalia, quae plerumque hora post obitum sexta vel septima moriuntur, hoc in cane quinquagesima

adhuc hora viventia reperta sunt, vasa lienalia omnino clausa; concretiones quoque partium in loco, quo operatio erat instituta, observatae. Dura mater in regione ossis frontis ossificata, cerebrum magnopere sanguine repletum apparuit. Pondus totius canis Librae erant XV; hepatis unciae X et drachma I; bilis drachmae II et grana IX. Bilis in tincturam lacmus ad modum tum alcalium tum acidorum reagens inveniebatur; succus gastricus et chylus ad modum acidorum.

De vita ejus hoc adhuc memoria dignum. Germanos suos corporis evolutione longe superabat; adaucta in eo energia et corporis agilitas inveniebatur; magna praeterea coeundi cupiditas, sed coitus ejus, quantum est cognitum, nunquam foecundus fuit.

Enumeratio praeparatorum lienum morbosorum, quae in Museo anatomico Gryphiswaldensi asservantur et Tabulae descriptio.

In museo anatomico universitatis nostrae plura asservantur praeparata lienum morbosorum, a praeceptore meo Ill. *Schultze* collecta, quorum notatu digniora haec sunt:

1) Lien cujusdam viri, in quo praeprimis notabile est illud, quod tunica propria multis in locis cartilaginis ad instar degenerata est.

2) Lien magnitudinem duplicem adaequans, puellae cujusdam, longum per tempus febre intermittente laborantis; parenchyma lienis valde condensatum.

3) Ad partem quadrantem deminutus lien e cadavere vetulae cujusdam.

4) Juvenis cujusdam lien duplicem manifestans magnitudinem; parenchyma condensatum.

5) Hypertrophia lienis; lien duplicem fere ambitum assecutus in parte superiore abscessum praebet magnitudine ovis anserini.

6) Lienis parenchyma emollitum, dissolutum fere; e cadavere viri cujusdam resectus, qui per longum tempus lienosus et, quod praeprimis notatu est dignum, se ipsum interficiendi conamen fecit.

7) Lien viri dimidiam ad partem major cum liene succenturiato.

8) Lien suis cum acephalocystis; renes ejusdem animalis multas hydatides insidentes praebent.

Caeterum praeceptor meus Ill. *Schultze* in museo suo privato plures lienes morbosos asservat, quorum duo in tabula adjecta delineati sunt. Primus eorum ad juvenem anno 1824 dissectum pertinet, admodum scrophulosum, in quo praeter glandularum mesenterii destructionem vesiculae lienis praeprimis degeneratae exstant; alter vero ad feminam anno 1820 dissectam per aliquot annos ante mortem mentis sanae expertem

pertinet; in hoc praeprimis notatu est dignum illud, quod lienis parenchyma tunica crassa atque cartilaginea circumdatum conspicitur.

Descriptionem praeparatorum adjicio, quam praeceptor meus Ill. *Schultze* ad publicationem mihi commisit.

Fig. I. Lien juvenis viginti annos nati, phthisi pulmonali defuncti, glandularum lymphaticarum degeneratione scrophulosa affecti; organon medium dissectum est et magnitudine naturali depictum.

a. Concretio alba, dura ex tela cellulosa maxime densa constans.

bbb. Vesiculae lienales magnitudine auctae et partim inter se confluentes, albo succo spisso impletae.

c. Tela lienis adhuc sana, vel parum mutata elucentibus vesiculis lienalibus.

d. Pseudomembrana lienem ad abdominis parietem affigens.

Fig II. Lien feminae vesanae, prius rebus venereis deditae ac libidinosae, postea stupidae, item medius dissectus et magnitudine naturali depictus.

aa. Tunica propria maxime incrassata in cartilagineam capsulam conversa.

bb. Stratum hujus capsulae internum, flavum, ex lamellis constans.

c. Parenchyma lienis paullulum firmius quam in statu normali.

VITA.

Natus sum *Michael Marcus* *Gryphiae* die VII. mens. Februarii MDCCCXIV patre *Michaele Marcus*, mercatore, cujus mortem praematuram quam maxime lugeo, matre *Joanna* e gente *Hinrichsen*, *Megalopolitana*, et fidem mosaicam profiteor. Primis literarum elementis instructus Gymnasium *Gryphisvaldense* petii ubi a praeceptoribus optimis, imprimis Drr. *Breithaupt*, *Glasewald*, *Paldamus*, *Canzler*, quibus publice pioque animo gratias ago quam maximas, literis instructus octavo post anno testimonium maturitatis nactus sum. Anno MDCCCXXXIII in alma literarum Universitate *Gryphica* a Rectore Magnifico Ill. *Barkow* civium academicorum numero adscriptus nomen apud Ill. *Seifert* med. ord. t. t Decanum professus sum.

Scholae, quibus interfui, hae sunt:

Ill. *Schultze*, de Osteologia et Syndesmologia.

Ill. *Seifert*, de Encyclopaedia medica.

Ill. *Hünefeld*, de Chemia.

Ill. *Hornschuch*, de Botanice generali; Idem demonstravit mihi plantas in horto botanico, et dux fuit in excursionibus botanicis.

Ill. *Tillberg*, de Physice experimentali.

Cl. Dr. *Paldamus*, de Vita Ciceronis.

Cel. *Florello*, Ciceronem de natura Deorum mihi explicavit.

Semestri aestivo praeterlapso *Berolinum* me contuli, ibique a Rectore Magnifico Ill. *Weiss* in civium academicorum numerum receptus, hisce interfui praelectionibus:

Ill. *Müller*, de Anatomia universali et Organorum Sensus, de Physiologia humana et Physiologia generationis.

Ill. *Mitscherlich*, de Physice atque Chemia experimentali.

Ill. *Beneke*, de Logice et Encyclopaedia philosophica.

Ill. *Kunth*, de Botanice.

Ill. *Link*, de historia naturali.

Ill. *Wagner*, de Pathologia et Therapia generali.

Anno autem elapso *Gryphiam* redii et a Rectore Magnifico Ill. *Schirmer* denuo civibus academicis adscriptus sum.

Deinceps disserentes audivi:

Ill. *Mandt*, de Chirurgia generali, et specialis parte prima.

Ill. *Seifert*, de Pathologia generali, Semiotice, Materia medica, Formulari, de Arte fascias chirurgicas adligandi, de Chirurgiae specialis parte altera, et Medicina forensi.

Ill. *Schultze*, de Anatomia humana arteque cadavera rite dissecandi, et de Anatomia pathologica.

Ill. *Berndt*, de Therapia generali, Pathologia et Therapia speciali, de morbis animi et infantum et de arte obstetricia.

Cel. *Kneip*, de Fracturis et Luxationibus, Ophthalmiatrice et Akiurgia.

Praeterea per biennium Clinico medico et unum per annum obstetricio, nec non Convertatorio de rebus medicis ore latino habito sub Ill. *Berndt* auspiciis et Clinico chirurgico et ophthalmiatrico duce Cel. *Kneip* interfui.

Nunc vero academico studiorum cursu peracto et tentamine philosophico et medico, examineque rigoroso rite absolutis hanc almam literarum sedem relicturus, his Viris Illustrissimis, Celeberrimis, Clarissimis pro summis in me meritis gratias palam maximas ago.

Theses defendendae.

I.

Substantiam ad bilis secretionem affert systema portarum.

II.

Lienis morbi, qui in febre intermittente observantur, non caussae sunt, sed illius sequelae.

III.

Decubitus morbus internus.

IV.

Ad dispositionis phthisicae exstinctionem plurima in evocanda plethora abdominali salus quaerenda.

V.

Medicus curat, natura sanat.

VI.

Observatur febris puerperalis sine affectionibus localibus.


VII.

Non morbi, sed eorum classes habent remedia specifica.

Fig. 1.



Fig. 2.



Steindr. v. W. Kunike in Greifswald.